



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quae sit spiritualis libertas sanctificati hominis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

haberent &c. Habet quoque illam libertatem in externis actibus.

Spiritualis libertas, quæ sic dicitur, quia de internis motibus cordis est, non solum de externis actibus, est, quando voluntas adiuuatur per gratiam & adiutorium Spiritus sancti, ut possit in bonum internum consentire, scilicet verè corde diligere, timere Deum, & ipsi fidere: habere mansuetudinem, misericordiam erga proximum, atque alios fructus Spiritus sancti, Galat. 5. Nam sine tali adiutorio & gratia non potest voluntas naturali sua libertate habere vel efficere 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, id est, naturalis homo non potest ex sua natura efficere fructus Spiritus sancti: Nam peccatum hæret in natura, quod facit, ne integram obedientiam præstemus Legi Dei, ex toto corde diligendo & fidendo. Et quoniam humana voluntas per se ex natura sua non potest tollere hanc corruptionem naturæ, sicuti nec mortem, quæ est propriissimus effectus istius corruptionis, Rom. 6. Stipendium peccati mors: Ideò quando negatur aut extenuatur libertas vel liberum arbitrium, respicitur ad illos externos motus, & non ad exteriora facta, eò quòd sine Spiritu sancto non potest efficere spirituales effectus, quos Deus requirit, scilicet verum timorem, veram fiduciam misericordiæ Dei, obedientiam, tolerantiam afflictionum, dilectionem Dei, & similes motus: & sic, quoad illos motus, dicitur, quia homo non habet liberum arbitrium: nam tales in natura corrupta non sunt. Nec homo ex se efficere potest sua naturali libertate, oportet igitur ut donentur à Spiritu sancto tales motus interiores, qui postquam consentiunt legi & actibus exterioribus, opus placet & integrum est. Insuper voluntas renouata Spiritu sancto, non est penitus ociosa & sine actione sed adiuuatur, ut verius fiat libera, & aliquid potest in externis

ternis

in externis lapsibus cauēdis, & faciendis pijs actionibus. Nā Spiritus sanctus nō pmittitur nec datur ociofis. Iuuat ergō Spiritus sanctus nostram voluntatem in pia actione. Quarē falsum est deliramentum Manichæorum, qui nullam actionem tribuebant voluntati, ne adiuuante quidem Spiritu sancto, quasi nihil interesset inter statuum & voluntatem. Et quoniam voluntas nostra adiuuatur Spiritu sancto, & cum ipso agit, vt 1. Corin. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum: igitur & præmium est operi ex gratia & misericordia propter Christum, licet Gratia sit potissima actio voluntatum reliquarum.

Ipsa quoq; naturalis libertas voluntatis, etiā post peccatum est causa contingentie nostrarum actionū. Contingens enim est illud, quod, priusquam esset, produci potuit, & non produci, accidens fieri, vel nō accidens fieri, sicut cras aliquem lecturum, vel nō lecturū. Et quoniam voluntas retinet illam libertatem ad ea quę sunt subiecta rationi, ad ciuilem iustitiam exigendam, ob id est causa contingentie nostrarum actionum.

Deus enim tamesi præuidet, qui omnia nouit certitudinaliter, apud quē est præteritum, præsens, & futurū tempus idem, quia æternus. Iacobis. Apud quem nō est transmutatio: non tamen tollit modū agendi inditū nature, neq; priuat voluntatē naturali libertate sua, qua in creatione eam donauit. Determinat tamen Deus actiones sicut fiunt, permittit vt volūtas Saulis sic agat, & nō impellit vt secūs agat, sed decernit vbi Saulem repressurus sit, si secūs egerit. Deus tamen non cogit voluntatē. Omnia quoq; necessario fieri intelliguntur de rebus, actionibus, & gubernationibus diuinis, quę nō sunt subiecta rationi humanæ: illa enim fiunt, sicut à Deo ordinantur, mouentur & disponuntur. Act 17. In Deo viuimus, mouemur, & sumus, &c. Pluere, mori, &c. & id genus reliquę actiones, non sunt in nostra potestate. Ca.